

B. N. II. 153.  
h. 34, II.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICAE  
DE  
**FORO & PRIVILEGIIS**  
**PRACTICANTIVM**  
**IN CAMERA IMPERIALI,**

Quam

*EX POTENTISSIMI atque SERENISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI,*

*DOMINI*

**ERNESTI LVDOVICI,**  
**HASSIÆ LANDGRAVII &c. &c. &c.**

*speciali permissione absque PRÆSIDE,*

*In celeberrima LUDOVICIANA,*

*Pro summis in utroq; Jure honoribus,  
Privilegiis & Immunitatibus*

*ritè legitimèque consequendis,*

*Placidæ Disquisitioni & Censuræ publicæ submittit*

**ANSELM. FRANCISC. ANTONIUS**  
**SPOENLA, Erfurtensis.**

Anno MDCCXVIII. ad Diem 1. Februarii,  
in Auditorio majori horis consuetis.

---

*GIESSÆ - HASSORVM,*

*Typis VIDUÆ JOH. REINH. VULPII, Acad. Typogr.*



Cuncta

in honorem & gloriam

# SANCTISSIMÆ TRINITATIS

procedant.



REVERENDISSIMO  
ET EMINENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
FRANCISCO  
LOTHARIO  
SACRÆ SEDIS MOGUNTINÆ  
ARCHI-EPISCOPO,  
S. R. I. PER GERMANIAM  
ARCHI-CANCELLARIO,  
ELECTORI,  
NEC NON  
EPISCOPO BAMBERGENSI.  
DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

*Reverendissime & Eminentissime  
PRINCEPS ELECTOR,*

*Domine longe Clementissime.*



Rima statim fronte in sanctitatem assertionum mearum peccare videor, & destruere, quod laboriosa hactenus industria mea erigere statuit Iustitiae sanctuarium: cum forum practicantium in Camera Imperiali statuam, oreque & Calamo asseram esse Cameram, in qua reveremur & adoramus supremum totius Imperii Judicium; Reapse tamen id ipsum agnoscam & adorem in te Eminentissime Elector,  
apud

apud quem a clementissima tua munificentia  
 præventus hisce præsentibus compareo, mul-  
 torum reus debitorum. Dum vero non in mea  
 practicantis, sed in parentis defuncti, matris  
 viduæ, & fratum meorum persona ac nomi-  
 ne me sistam in foro Electoralis Eminentiae  
 veniam, imo nomen pietatis meretur perpe-  
 ram præsumptæ impietatis meæ audacia. Ra-  
 puerunt nuper fata! Heu nimium acerba, ra-  
 puerunt, inquam, parenti meo cum vita o-  
 mnem, contractis apud te debit is satisfacien-  
 di facultatem : debet is clementissimæ tuæ  
 munificentiae prætoriam suam autoritatem,  
 qua eximiam ejus prudentiam, insitasque à  
 natura & arte singulares animi corporisque  
 dotes Erfurti præfulgere subditis tuis, gratio-  
 sissimè imperasti. Debet beneficia Ecclesiasti-  
 ca, quibus orthodoxam ejus fidem & Germa-  
 nam in administranda provincia sibi collata  
 fidelitatem, in filiis etiam posthumis conde-  
 corasti. Debet gratias cumulatissimas, quas  
 hactenus atque etiam nunc liberali misericordia  
 non desinis accumulare in sinu afflictæ e-  
 iusdem viduæ. Debet denique vitam fortu-

A 3

nasque

nasque omnium nostrum, qui præcoce parentis morte plus nimio labefactati, in tristitia, in squallore, in latebris computruisse mus. Ni si pulchrum ac decorum semper existimasses, nominari & esse te patrem viduarum atque pupillorum. Gravissima sanè nomina, quæ parentem suavissimo obstrinxere vinculo. Quis tot tantisque nominibus par dissolvendis, audiat in foro munificentissimæ tuæ Eminentia comparere: vidua, sequioris non immemor sexus, erubescit prodire in publicum, quin adeo in forensi judicio agere prohibetur. In parentum debita ex jure succedit filius; cum proinde frater meus in administrationem Satrapiae à te nuper clementissimè adoptatus, negotiis, servitiisque tuis detineatur. Ego in parentis defuncti persona, quorum moraliter idem est hæres filius, felicissimus, iisdemque, quibus parentem ligaverat clementissima tua munificentia vinculis constrictum me sisto, & sub judicio foro Electoralis Eminentia tuæ, tibique me ut jure decet infinitè teneri humillimè profiteor, humanitatisque observando rationem, revereri scilicet eos, quorum benignitate erigimur,

gimur, hasce Assertiones Juridicas, ut ut exiguae demissime præsento, & pro tantæ benignitatis, munificentiæ, & gratiarum collatione, id quod summum habemus, obsequiosissimè præsto, nempe me ipsum, quantum quantus sum, totum tibi submississimè dico & dedico in perpetuum.

Non deditnare Eminentissime Elector, hoc debitæ obligationis meæ pignus gratiissimum in sinum admittere, meque clementissimo semper animo fovere, ut quemadmodum hucusque favore tuo & gratiis felicissimè adolevi, ita vivere deinceps liceat in tuis & patriæ obsequiis, iisque pulcherrimo parentis mei Exemplo fideliter immori. Atque ita non modo relevabitur acerbum illud à præmatura parentis morte incisum familiæ nostræ afflictæ vulnus, sed & mihi favoris publici

CAP

publici via Eminentissima clementia aperietur,  
qua vitam meam ad extremum usque Spiritu-  
tum tibi tanto fructuosius devoveam.

## Reverendissimæ & Eminentis- simæ Celsitudinis Vestræ

Dabam Gistæ d. i.

Febr. 1718.

**submissimus & obligatus**  
**Servus**

**ANSELM FRANZ ANTHON SPOENLA.**

CAPI-



# CAPITVLVM PRIMVM, DE Foro Practicantium in Camera Imperiali.

## *Assertio I.*


 Agabundus locos Juris Communes per-  
 transivi, & ecce: tandem deprehensus  
 trahor ad iudicium , quod Camerale  
 & supremum totius Imperii vocatur.  
 In eo myriades utilitatum, & Commo-  
 dorum pro Practicantibus reperiri, vn-  
 dique perspectum. Quod Encomiis  
 sat extollere me incapacem inveni. Ast praxin eo, quo mo-  
 do anima in homine operari, certum confirmant practici.  
 Etenim absente eā theoriam studium mortuum , purōsque  
 theoreticos magis damno quam commodo reipublicæ esse  
 contendunt. Hinc bene: sine doctrina fori manca ac ini-  
 lis scientia Juris videamus Sued. *Introd. ad Jus Publ. Cap. 1.*  
*N. 10.* consultius & tutius esse dicit fundamenta in Academ-

B

mis

miis posita, ex post usu quotidiano & praxi confirmare. Itaque hac celeri calamo elaborata dissertatione mea de fo-  
ro & Privilegiis Practicantium in Camera Imperiali, & ini-  
primis in genere, & ex post in specie materia mihi erit per-  
tractanda. Ut exinde clarius & melius utilitates fluentes  
ex praxi percipiendæ & capienda sint.

### *Affertio II.*

Explicationem nominis præ omnibus præmittendam  
esse concludit Pfankuch *de Summ. Poff. Lib. I. Cap. I.* ubi  
hæc verba: Sine nominis explicatione rem cognoscere, nihil  
aliud est, quam tempus perdere; Et sicut natura ab Elemen-  
tis, sic ars à verbis incipit. Qua de causa huius sententiam  
sequi non inconsultum esse sensi; Etenim forum commu-  
niter denotare locum, in quo iudicium constituitur. Ein  
Ort wo man Gericht hältet. affert Calep. dict. voce fo-  
rum. Sed in nostro sensu est competentia, judicis inter par-  
tes litigantes. Struv. Synt. Jur. Ex. IX. lib. V. tit. I.

### *Affertio III.*

Et hæc fluit vel ex jure communii vel ex jure singu-  
lari. Ex jure communii vel est domicilii, rei sitæ, contra-  
ctus, delicti, continentia causæ.

### *Affertio IV.*

Forum domicilii aliud est naturale seu originis, aliud  
accidentale seu habitationis. Originis forum est, in quo  
quis natus. Habitationis vero forum est locus, qui ab ali-  
quo

quo constitutus perpetuo ibi commorandi, nisi quid avocet.  
Menoch. de Arbitr. Jud. libr. 2. L. cives C. de Incolis.

### *Assertio V.*

Rei sitæ forum est competentia Judicis inter partes litigantes propter rem de cuius proprietate, vel alio quovis Jure in re queritur, ibi sitam. L. un. C. ubi de poss. quer. L. 3. C. ubi in rem att.

### *Assertio VI.*

Forum contractus est competentia Judicis vel loci contractus vel destinatæ solutionis inter partes. L. 21. de O & A. Zoël. libr. 5. de Jud. L. 19. §. 2. de Jud. si ibi reperiantur. Cap. 1. Romana §. contrahentes de foro compet. in 6. Stryck. Introd. ad Praxin for. Cap. 1. XXXI. quod si reus in eodem loco bona possideat, actor in ea missione impetrare poterit. Laut. Comp. libr. V. tit. 1. de Jud.

### *Assertio VII.*

Delicti forum est competentia judicis loci delicti tam consummati quam inchoati in delinquentem si ibi reperiantur. Gail. Libr. 3. O. XXXVI. in loco alieno captus, ad requisitionem judicis loci delicti commissi remittitur datis reversalibus.

### *Assertio VIII.*

Continentiae causæ forum est competentia judicis proveniens ex conjunctione causarum connexarum inter par-

B 2 tes

res L. 10. b. t. Et hæc iterum duplex , vel ratione personarum v. g. si plures conveniendi diversis jurisdictionibus subjecti; vel ratione rerum , si illæ in diversis ditionibus sitæ: Rod. libr. 1. Cap. 5. de cont. caus. plura vide apud eundem & Blum. process. Cam. tit. X. L. de cont. caus. Struv. Synt. Jur. Ex. IX. tit. I.

### *Assertio IX.*

An partes litigantes foro suo renunciare possint , dubitatur potest enim quisque favori pro se introducto renuntiare , L. 29. C. de paetis. Ast respondeo cum Gailio libr. 1. Q. X. L. de renunt. fori. vel solum favorem partium respicit vel simul Superioris. Priori casu poterunt. Posteriori minimè. Quia tendit in præjudicium tertii. Gail. Lib. 1. Q. X. L.

### *Assertio X.*

Ex jure singulari fluit competentia vel ex ratione rerum vel conditione personarum , & hæc vocatur forum privilegiatum.

### *Assertio XI.*

Res verò , quæ gaudent privilegio fori sunt vel Ecclesiastica vel Sœculares. Ecclesiastica in Ecclesiastico, sœculares in sœculari foro vel judicio movendæ & expedientæ sunt, plura in Zoëf. ad ff. libr. 5. tit. de jud.

### *Assertio*

*Assertio XII.*

Ex conditione personarum provenit forum privilegiatum tam ex persona rei, quam actoris. Ex persona actoris: quod procurator Cameræ salarym residuum à suis clientibus ( etiamsi sub aliena Jurisdictione ) in Camera petere possit. Blum. *process. Cam. tit. XXVI.* Rod. *Libr. 3. t. VII. de mon. C. p. I. tit. XLVI.* §. 10. Ex persona rei: quod Clericus in judicio Ecclesiastico sit convenientius. Principes, prælati, Comites, Barones, Nobiles immediati in casibus ab ordinatione expressis coram austregis. *C. p. I. t. 5.* Personæ Camerales in judicio Camerali. Sufficiat igitur aliquatenus generalia præmissæ nunc ad Scopum nostrum, qui est forum practicantium in Camera Imperiali.

*Assertio XIII.*

Quæritur an practicans in Camera gaudeat privilegio fori? pauca hic præmonenda esse autem. Etenim non omnibus datum hoc privilegium fori, sed solum iis, qui immatriculati sunt. Funt enim per matriculam personæ Camerales. Itaque gaudebit iste privilegio fori, si sit immatriculatus, secus vero si non sit. *C. p. I. tit. LXIII.* §. 6,

*Assertio XIV.*

Cupientes recipi in numerum practicantium uni pellorum notificare debebant, ut de eo judicem certiorem ficeret. Judex duos Assessores deputabat ad examinandos istos de sua conditione, proposito, vita & patria. Hi

data responsa in Senatu referebant. Facta relatione si recipiendi, judex ex Senatu progrediens exspectantibus ibidem indicabat. In quibus propter multitudinem negotiorum à Præside Camerae hodiè dispensatur, & sufficit, si de hoc Præses ab ante certior factus, & ex post nomina sua per pedellum apud Collegium Camerale professi, albo ad hoc destinato recipientur mercede soluta pedello pro labore. C. p. I. d. tit.

### *Assertio XV.*

Qui verò immatriculati non sunt, nullo modo privilegio fori gaudere, sed subesse magistratui ejus loci in quo Camera refidet (qui hodie est Wetzlaria) certum est.

### *Assertio XVI.*

Dubitatur, si practicans Wetzlariæ, contraxisset, vel æs alienum conflasset, domumque reversus esset, an in Camera, vel in loco domicilii conveniendus sit? ad quod dubium cum sit decisum in Jure Canonico Cap. I. *contrahentes de foro compet. in 6.* quod etiam in praxi sequimur; contrahentes conveniri posse in loco contractus initi si ibi reperiantur, non vero si reversi domum; Dico talem non in Camera sed in foro domicilii conveniendum esse. Quia ordinatio contraria in hoc passu invenienda non est.

### *Assertio XVII.*

Sed ponamus, quod talis practicans, qui Wetzlariæ æs alienum conflavit, vel contraxit, artes liberales derelinqueret, & inciperet mercaturam frequentaré tque nudinas,

dinas Francofurtenses; Quaritur an mercibus adductis arrestum imponi possit à judice Francofurtensi? Respondeo Negativè. Quia Privilegium nundinis Francofurtensibus & Lipsiensibus concessum; vigore cuius, nullus mercatorum conveniri (scilicet tempore nundinarum) vel merces eorum arrestari possunt. *L.U.C. de nund. & merc.* Limitatur tamen prius; nisi sint de fuga suspecti. Tali enim modo conveniri & arrestum imponi posse, vide ex *Mey. de arrest.* C. II. n. 17.

### *Affertio XVIII.*

Sed si alieno in loco debita fecisset annon propter hæc in Camera conveniendus? Respondeo affirmativè. Ratio. Quia actor sequitur forum rei, & rei forum nempe practicantis pro nunc est Camera, ergo in ea conveniri posse omni dubio caret. Habet tamen jus revocandi propter *L. 2. ff. §. 4. de Jud.*

### *Affertio XIX.*

Delinquentem habere magistratum loci delicti perpetrati competentem Judicem non indiget probatione. Ast fallere hoc in practicantibus, affirmatur per Reversales exhibitas de Anno 1700. decimo tertio Julii à civitate Wetzlariensi in causa Johann Ernst Truchsessen von Wezhausen/ qui quendam nomine Franck vulnerans, qua propter civitas eum apprehendit, sibique desuper cognitionem appropriare intendens, Cum verò Fiscalis Cæsareus contra memoratam civitatem mandatum extraxisset, Reversales talia continentes dedisse legitur. Si à personis Cameralibus,

meralibus, sollicitatoribus, dependentibus, sicut etiam  
servientibus imposterum delictum criminale committetur  
(sive sit capitale, sive non) retinebit civitas apprehen-  
sionem personæ, eam vero extradet collegio Camerali, quod  
delinquentem judicabit; sed executio sententia civitati re-  
manebit. Obstat quidem videbatur Ordinationis Camera-  
lis §. 23. tit. LXIV. *in fine*, ubi hæc verba: derohalben dann  
auch Cammer-Richter/ Besitzer zuvor gute Erfundi-  
gung haben sollen / alsdann die Obrigkeit gemeldter  
Stadt/ wie sich gehühret zu berechtigen und zu straffen  
befehlen. Sed resolutio verbi berechtigen: datur ex Be-  
soldi thesauro practico voce berechtigen. Explicat enim,  
quod non cognitionem, sed nudam executionem sententia  
adsignificet. Facitque distinctionem inter berechtigen &  
rechtsfertigen. Quod ultimum simul disceptationem &  
cognitionem denotare afferit, & competere judicio Came-  
rali in personas Camerali albo inscriptas. Illud vero ma-  
gistratui civitatis.

### *Affertio XX.*

Sed si immatriculatus Cameræ abscedat, quæritur an  
matricula exspiret vel non? Respondeo manere & non ex-  
spirare; quod confirmatur per casum certi alicujus practi-  
cantis nobilis spiræ, qui immatriculatus Cameræ Imperialis  
erat. Hic decedens spirâ, aliam universitatem frequenda-  
vit, & in eadem matricula iterum inscriptus. Cum vero  
post anni spatum & aliquos Dies reversus spiram, magnis  
in rixis deprehensus fuit. Hinc magistratus ipsum arresta-  
vit; quapropter talis practicans apud Judicium Camerale,  
desuper conquestus; In quo ex post quæstio orta an talis pro  
imma-

immatriculato habendus, & gauderet Privilegiis adhuc ab ordinatione Camerali concessis? & fuit conclusum in pleno Anno 1668. decimo tertio Martii, quod pro immatriculato habendus, & judicium ipsi assistentiam præbere velit. Ideo que fiscalis Cæsareo undecimo Apr. dicti Anni mandatum ad exhibendas supplicas pro processibus contra memoriam civitatem.

### *Affertio XXI.*

Si ex lege diffamari s. C. de ing. man. practicans conveniendus, iste forum diffamati sortitur. Quod confirmat Stryck. *introd. ad praxin for. Cap. 5.* Gail. *Libr. I. O. XI.* Zoël. *Libr. XL t. I.* Etiam si duplex adesse judicium DD. statuant, tamen diffamantem sequi forum rei communi DD. opinione confirmatur.

## CAPITULUM SECUNDUM. DE

### Privilegiis Eorum.

#### *Affertio I.*



Rivilegia, leges singulares in favorem certæ rei vel personæ contra legum generalium tenorem concessæ dicuntur. Hinc rejectâ divisione Schambogenii, dico alia realia, alia personalia esse. Realia dicuntur, quæ principaliter in favorem rei, loci, muneris,

C

vel

vel dignitatis conceduntur, & per consequens personis, quæ tales rem, locum, munus vel dignitatem possident vel quasitalia v. gr. sunt immunitas à solvendis decimis, tributis, vectigalibus, quæ, quia rei inhærent, transeunt ad quoscunque successores & possessores. L. 169. de R. I. Personalia sunt, quæ primariò personæ sine consideratione rei concessa, & ideo cum illa exspirare demonstrat, L. 4. ff. de cens.

### Affertio II.

Sed privilegia ab ordinatione Cameralibus personis concessa non esse personalia sed realia jam constat ex supra dictis. Ad quod Confirmatio peti poterit ab Eng. ad Jus Can. Libr. V. tit. XXXIII. & Neumannii annot. ad Clar. vir. Sued. Introd. ad Jus Publ. Cap. 10.

### Affertio III.

Et inter has personas etiam contineri practicantes, si vox persona Cameralis strictè sumatur & respiciatur, legitur apud Blum. Process. Cam. tit. XXII. §. 4. Rod. libr. I. tit. 4. quot modis Jur. Cam. fund.

### Affertio IV.

Cum verò hæ multis gaudeant privilegiis, quibus pari modo practicantes utuntur, & hi non solum, sed etiam personarum Cameralium uxores, liberi &c. illa in quantum potero in lucem edam.

### Affertio

*Assertio V.*

Notum, omnibus personis Cameralibus privilegium  
immunitatis à gabellis cunctisque oneribus competere R. I.  
Nov. de Anno 1654. §. 141. Rod. p. J. Cam. libr. IV. tit. XV.  
ubi refert casum in Sachen D. Reichard Cappens  
Klägers/ wider Bürgermeister und Rath der  
Stadt Hamburg Belagte/ Mandati de non gra-  
vando in immunitate publica contra leges Imperii & §.  
4. Eod. Ideo non dubito, quin non etiam competit pra-  
dicantibus; Nam ( sicut antea dictum ) pari immunitate  
protectione & securitate gaudent.

*Assertio VI.*

Sed dubium occurrit; practicans hæres ab extraneo  
constituitur, quæ hæreditas multa bona mobilia & immo-  
bilia in se continet, talis autem ibidem domicilium con-  
stituere non intendens, vendit sua immobilia; Quaritur an  
decedens Gabellam solvere teneatur? Respondeo Negati-  
vè secundum allegatum R. I. Nov. de Anno 1654. C. p. 1. tit.  
*LXIII.*

*Assertio VII.*

Practicantes ut tales in Camera litigantes propter in-  
juriás illatas dimidiā taxam solvendo liberari concludit  
Blum, *Process. Cam. tit. XXII.*

C 2

*Assertio*

*Affertio VIII.*

Immunitatem habere à vectigalibus, si vinum ex alienis territoriis sibi procurent patet ex *C.p. i. tit. LXIII. Rod. p. J. Cam. XV.*

*Affertio IX.*

Practicans immatriculatus neque per se, neque per pedellum matriculam in Camera factam esse consuli civitatis indicare est adstrictus; sed magistratus, si quid periculosi de tali forsan timendum, à Præside Cameræ informationem impetrabit. *C.p. i. tit. LXIII. §. 7.*

*Affertio X.*

Et hæc privilegia non solum personis Cameralibus, sed etiam earum familiis; id est: uxoribus & liberis, sub hac tamen clausula, si viduæ non nubant civibus, quia hoc causa fôrum mariti sequuntur, *L. 65. ff. de Jud. vel alienæ jurisdictioni se subjiciant. R. 7. Nov. de Anno 1654.*

*Affertio XI.*

Ast an talia privilegia practicans nubens retineat difficultas est. Etenim studiosos communiter non habere uxores experientia docet & asseritur à Deck. *Vind. tit. XXII.* Hinc in ordinatione Camerali *parte I. tit. LXIII. §. 8.* Dein nach sich alio ic. Expressè dicitur: quod illi, qui separatam Oeconomiam instituere, & ibidem perpetuo commorare intendunt non ad addiscendam praxin, sed solum sub hoc titulo frui privilegiis, planè sint exclusi & subiecti magistrati.

*Affertio*

*Assertio XII.*

Perspectis, visisque praxeos utilitatibus quisque eam sibi recommendatam habeat, & se in addiscendo sic diligentem ostendat, ut jure meritoque illud, quod Justinianus Imperator §. 7. Proem. inst. effatus, ei applicari, & ad gubernacula rei publicæ admoveri possit. Quibus rudi minerva confessis assertionibus meis finem impono, rogitoque ut lectoris benevolentia omnia & quo & bono habeat animo.

*Corollaria.*

1.

**B**ona studiosorum Emigrationis & detractionis oneri subjecta non sunt.

2.

Leges in jure plus valent quam rationes. Etenim loquente lege taceant ratiocinationes, & in apertis hastare vel coecutire insanire est.

3.

Fur rupto Laqueo vivus furca decidens de novo suspendendus non est.

C 3

4. Miles

4.

Miles propter decerptum unicum pomum  
vel cerasum contra dispositionem Belli - Ducus  
rectè suspenditur.

5.

Hereditas cum Beneficio inventarii adicata  
de Jure Civiliterum repudiari potest.

6.

Duo insolida ejusdem rei Domini esse  
possunt.

7.

Vassallus alienato feudo sine consensu domini  
ni eodem privatur.

8.

Camera Imperialis ordinariam habet Juris-  
dictionem.

9.

Res furtiva de Jure Canonico nec usucapi  
nec præscribi potest.

10. Renun-

10.

*Renuntiatio senatus consulti Macedonia-  
ni à Filio forato facta de Jure Canonico non  
valet.*

11.

*Quotiescumque ad actum quendam necessa-  
rio alicujus scientia requiritur, toties consensus  
necessarius non est, sed sufficit hunc actum ipsi  
fuisse notificatum.*

12.

*Si Legatum relictum testamento pauperi-  
bus, hoc non uni dandum, sed pluribus distri-  
buendum esse confirmant practici.*

13.

*Filius familias de peculio adventitio testari  
non potest.*

14.

*Petens relaxationem juramenti ad effectum  
agendi non est adstrictus ad impetrandam partis  
adversa citationem praxis in Camera docet.*

15. In

QK IIk 3504

26 (24) 22

X 250 1437

15.

In feudo pro se et suis heredibus masculis  
et feminis concessa, deficientibus masculis feminas  
succedere observatur in praxi.

16.

Sed si quis reliquerit filium et filiam, et  
filius succedat in feudo, decedatque iterum sine  
heredibus, filiane succedit in feudo vel non?  
prius affirmandum puto.

F I N I S.



IV

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

B. N. II. 153.  
h. 9 4, 11.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICAE  
DE

# FORO & PRIVILEGIIS PRACTICANTIVM IN CAMERA IMPERIALI,

Quam  
*EX POTENTISSIMI atque SERENISSIMI*  
PRINCIPIS AC DOMINI,

DOMINI  
ERNESTI LUDOVICI,  
HASSIÆ LANDGRAVII &c. &c. &c.  
speciali permissione absque PRÆSIDE,  
In celeberrima LUDOVICIANA,  
*Pro summis in utroq. Jure honoribus,*  
*Privilegiis & Immunitatibus*

*rite legitimèque consequendis,*

Placidæ Disquisitioni & Censuræ publicæ submittit

ANSELM. FRANCISC. ANTONIUS  
SPOENLA, Erfurtenſis.

Anno MDCCXVIII. ad Diem 1. Februarii,  
in Auditorio majori horis consuetis.

GIESSÆ-HASSORVM,  
Typis VIDUÆ JOH. REINH. VULPII, Acad. Typogr.

II  
3504

